

Zd
6565



QK. 2689.

Z d
6565

DE
IOANNE RIVIO, RECTORE QVONDAM ANNABERGENSI
BENE DE RE SCHOLASTICA IN MISNIA MERITO
DISSERIT

ET AD
AVDIENDAM ORATIONEM
QVA SE SCHOLAE ANNAEMONTANAE
ADMINISTRATIONE

H. Q. L. S

A. D. XXV. SEPT. CIO ID CC LXXI

ABDICAT
PATRONOS ATQVE FAVTORES OMNIVM
ORDINVM HONORATISSIMOS

HVMANISSIME INVITAT
M. IO. CHRISTOPHORVS GOTTLEBER
ILLVSTRIS AFRANEI RECTOR RITE CONSTITVTVS

ANNABERGAE
LITTERIS AVG. VALENT. FRISII



ALTE ENGLISCHE ORATIONEN

1643

ALTE ENGLISCHE ORATIONEN

ALTE ENGLISCHE ORATIONEN

ALTE ENGLISCHE ORATIONEN

ALTE ENGLISCHE ORATIONEN





Contigit profecto humano generi felicitas maior, quam vulgo putatur, sexti decimi seculi principio, quum Dei singulari prouidentia et cura, latinae et graecae litterae, earumque monumenta, quae in monachalium bibliothecarum, quin turrium tenebris, situ obducta, tamdiu contenta iacuerant, scholis iterum inferrentur, et caput quasi extollere inciperent. Liberata enim his litteris, veniente in auxilium diuina numinis clementia, vniuersa fere Europa et aliae regiones exterae superstitionibus, quae omnium animos, a longo inde tempore, inuaserant. Satis constat inter omnes, qui rem paullo altius repetere operae pretium duxerunt, tam foedam barbariem, ab ignorantia monachorum et ineptis scholasticorum nugis profectam, in scholis regnasse, easque tam diu occupasse, vt hominum mentes, stupore oppressae, secura quiescerent, nec verum viderent: vnde omnis mali origo, quo verae religioni tam grauia vulnera inflicta, vt sine praesentissimo remedio haud sanari posse viderentur. Sed pietas, quum satis diu, malitia hominum, superstitiones pro veritate venditantium, solum mutasset, et hominum oculis subducta fuisset, repen-

repente redux est facta. Ex tantis enim tenebris opportune lux Scholis Academicisque emicuit, quum bonae litterae et bona mens, auctoritate virorum quorundam, diuinitus quasi missorum, in honore haberentur, et ignorantiae crassae tenebras dispellerent. Non male hos humaniorum litterarum instauratores, purioris religionis vocare possis praecursores aut praefules: in confesso enim est, haec studia viam veri inuestigandi indagandique muniisse; sine quibus, nisi rem tam grauem miraculis summis confici velis, nihil, quod ad felicitatem hominum faceret, tentari, nedum effici poterat. Excitauit itaque cura Dei prouida homines, qui, instructi sollertia, industria et assiduitate pertinaci, graeca et latina exemplaria diurna nocturnaue manu versarent, et diligenter alios, praeciando, monendo, hortando, docerent, nihil sine iis, in doctrina vera comparanda, rectum esse, nullam sine his subsidiis viam, ad restituendam puriorem religionem, posse iniri. Huic prouidentiae diuinae tribuimus, exules Graecos in Italia humaniter exceptos; vnde non modo in Franciam sed et in Germaniam et praecipue in Saxoniam nostram haec studia migrauerunt, quae paullo liberalius educatos et bene a natura informatos alerent, et ad virtutem humanitatemque fingerent. Felicissima fuit Lipsia, nacta humanitatis magistros magnos, Hermannum Buschium, Rhagium Aesticampianum, quos inuidia et ignobilibus artibus victos, et ex nobilissima vrbe pulsos, secuti sunt Petrus Mosellanus, et postea Camerarius, auctoritate Melanchthonis, Casparis Borneri, Fachsii et Camiciani, ad hanc bonarum artium mercaturam allectus. Eadem felicitas quoque contigit Vniuersitati bonarum litterarum Vitembergenfi, quam Philippus Melanchthon, vir de instauranda humanitate mericissimus, illustrauit, qui iuuentutem Vitembergensem, horum studiorum discendorum auidissimam, pulchritudinis et elegantiae veteris gustu imbuit. Adiuerunt hi viri summi scholas, quas opportune interdum inuiferunt, consilio institutisque bonis, libellis in vsum iuuentutis scholasticae scribendis: constituere adeo eas agressi sunt, quin eorum aliquot in iis docuerunt, veluti

Rhagius

Rhagius Aesticampianus, qui scholae Fribergensi leges et docendi rationem praescripsit, Petrus Mosellanus, eiusdem scholae magister, et alii, quos hic commemorare omnes nihil attinet. Prae aliis autem eminet IOANNES RIVIVS, Atthendorien-
 sis Westophalus, Rector quondam scholae Annaemontanae
 longe celeberrimus; cuius merita non modo de hac nostra scho-
 la, quam adhuc reximus, sed et omnino de re scholastica in Mi-
 sisia bene constituenda, hac prolixe strictim commemorabi-
 mus.

Fruebatur tum Annaberga singulari felicitate, quum viri
 clarissimi et doctrina egregia florentes eo se conferrent. Rivius
 quidem, peragratis ad superiorem Rheni ripam urbibus claris,
 Lipsiae honorifice exceptus a Bornero, Camiciano et Ioanne Wei-
 fenstadiensi, Cygnaeaeque, auctore Bornero, docendi munere ali-
 quot annos functus, suafore in primis Valentino Hertelio, scho-
 lam Annaemontanam aperuit, eamque, profligatis monachorum
 nugis ineptisque tricis, longe florentissimam effecit. *) Addu-
 ctum secum Matthiam Marcum Dabereusium ex Westophalia fami-
 liarem, eo perduxit, ut gratis, more illorum temporum, priua-
 tas explicaret scholas; quo tempore quoque Ioannes Sturnus, po-
 eta valde probabilis, et Rhagii Aesticampiani amicus a condisci-
 pulatu haud vulgaris, Adamus Rilius, Arithmeticae peritissimus,
 Ioannes Naeuius, medicus clarus, Eringius, multae lectionis
 Theologus, et Antonius Beutherus, Senator disertus, Annaber-
 gam illustrarunt; cum quibus omnibus Rivius familiarissime vixit,
 non sine magna litterarum et studioforum utilitate. In tanta vr-
 bis celebritate, quae viros tunc temporis habuit eiusmodi, ut
 Lipsiae tanto numero non essent, nemini mirum videri debet, iu-
 uenes paullo liberalioris et erectioris indolis, propter summam
 et doctorum auctoritatem, et docendi praeclaram rationem, vi-
) 3 dequa-

*) v. Fabricii vit. Rivii apud Wilsch. in Incun. Schol. Annaeberg. p.
 40. et Menken. Diff. de Graec. et lat. litterarum in Misisia instit.
 §. 30.

dequaque eo confluisse. Riuus enim et Dabercusius non perfequebantur vulgaris viae vestigia; non fallebant tempus explicandis dialogis Pauli Niuais, idiomate Laurentii Coruini et poematis Hieronymi Paduani, vt ante vulgo factum erat in scholis: ducebant disciplinae suae alumnos ad interiora Musarum sacra, enarrandis poetis graecis et latinis, veluti Homero, Hesiodo, Virgilio, Ouidio, Terentio, et doctrinae veteris fonte limpidissimo, Cicerone. Riuii ratio interpretandi veteres Scriptores, vel ex eius notis in Sallustium mihi patere videtur. Peritissimus linguae latinae, ex vsu loquendi enarrat suum scriptorem, adhibita crisi breui, adscitisque veteribus libris MSS. et editis, nec pro more quorundam, euagatur in locos communes et dispositiones locorum logicas, quas mediocris ingenii homo facile conficere potest. Eiusmodi sententias vberius sine dubio, inter docendum, breuiter illustrabat, easque ad vsum iuuentutis studiosae accommodabat, imitatione praesertim prudenter instituenda, ne has dicendi artes soli umbrae, sed et vitae aliquando liberaliter degen-dae didicissent: imprimendos vero eiusmodi locos non curabat, ne magistrorum solertiae doctrinaeque diffidere videretur. Non sine voluptate legi illam eximiam laudem, qua Iosephus Waffius, editor doctissimus Sallustii, nostrum nobilitat, *) eumque melioribus auspiciis, quam superiores editores, ad idem opus paratum accessisse dicit: hunc primum Interpretum *ὁ γὰρ πεπαιδευμένα* habuisse, neque animi secus quam aurium iudicium in scriptis ostendisse: testari hoc sententias antea male tornatas et sine arte fluentes, quas nouato verborum ordine, incisis membrisque permuratis, pristinis numerorum legibus obedire coegerit; vsu quoque codicibus MSS. et libris veteribus, Aldino, Beroaldino, Badiano et Argentoratensi, item Grammaticorum citationibus: adeo vt quodcunque huic ad perfectissimum commentarium defuerit, aut aetati, qua floruerit, aut ingenii humani imbecillitati tribui debeat. Vides hic imaginem docti et perfecti interpretis, qualem nostrae tempora, quae clariori quam superiora luce splendent, esse vo-
lunt

*) P. 3. 4.

lunt et exoptant. Similem artem tractandi veteres scriptores, ostenderat iam in castigationibus in Terentium editis. Sed non modo libris scribendis egregiis, quos Fabricius Chemnicensis in eius vita diligenter recensuit, nomen suum posteritati commendauit, sed et, quod longe maximum videtur, fingendis animis doctrina et praeclaris institutis. Riuius valde honorificum est, quod ab Henrico Duce, cui nomen est Pio, Fribergam arcessitus, dignus habitus est, qui ingenium et praeclaram indolem Principum iuuentutis, Mauritii, Principis illius fortissimi, et, ni fallor, tunc temporis maximi, et Augusti, sapientissimi purioris religionis statoris, formaret. Quodsi Riuius operam in nullo alio animo ad virtutem et doctrinam fingendo impendisset vel collocare potuisset; haec tamen gloria, quam sibi in conformandis sua disciplina his Principibus summis, peperit, longe maxima et stabilis est, et digna, quae ab omni posteritate cognoscatur. Quodnam enim monumentum hoc illustrius et perennius est, quod sibi exegit? Et quam insigniter eiusmodi opere disciplinae delectari poterat? Quam gratiosus deinde fuerit apud hos magnos principes, vel inde apparet, quod Mauritius eius auctoritatem, in scholis illis prouincialibus constituendis, secutus esse dicitur. Disciplinae Riuianae bonitas et praestantia inde intelligitur, quod hos Principes non modo doctrina auxit et ornauit, sed et, quod ad laudem maximum est, iis amorem litterarum et hominum doctorum instillauit, ut ex institutis praeclaris non modo Mauritii sed et Augusti, quibus scholas atque Academias clariores reddidere, perspici potest.

Vt igitur cum Riuius meo Annabergam, vnde paullisper deflexi, reuertar; rexit huius vrbs scholam non diu quidem: non enim duos annos integros ibi docuit: sed tanta industria et sedulitate, ut, contentis aduersariorum, in primis pontificiorum calumniis, ipsi discipuli, optimi testes et integerrimi, quando ad iudicandi maturitatem peruenerunt, testati sint, quanta fuerit in omni re suscipienda et absoluenda religione et dexteritate. Praeter

ter primarium hac in re, Fabricium, *) popularem meum, laudabo neminem. Discipulos ibi non modo multos habuit (etsi multitudine discipulorum non famae stabili seruit) sed in primis bonos, quorum fama non modo in Saxonia, sed etiam apud exterarum nationes valde clara fuit. Liceat mihi hoc loco honoris gratia modo nominare Georgium Fabricium, Chemnicensem, virum de re scholastica, in primis de illustri Afranico, quod rexit prudenter xxvii. annos, egregie promeritum, Adamum Siberum, Iobum Magdeburgum, qui cum Fabricio humaniores litteras Misnae docuit, Christophorum Scheibam, Carchesium, Legerum, Ambrosium Schurerum, Nicolaum Reinholdum, Iuris consultos, Georgium Pylandrum, Gasparem Naeuium, Schallerum, medicos doctos et claros, ut alios taceam. Omnes disciplinae alumni, qui ab eius ore pependerit, eum maximo opere obseruarunt, et assiduitatem docendi, disciplinae grauitatem, vitae integritatem, modestiam in omnibus rebus prudentiamque laudarunt et haecenus, ut non solum praeceptionibus viam ad virtutem sterneret, sed multo brevius et tutius iter ad illam perueniendi, exemplo suo et vitae institutis praeclaris monstraret, adeoque non suae aetatis iuuentuti, sed et seris posteris disciplina sua prodesset. Quorum meritorum magnitudine et valde amatus est a suis, ut ex epitaphio, quod Praeceptoris suo incomparabili scripsit Fabricius, intelligitur, in quo eum virum optimum et magistrum morum feuerissimum, praeclare de praesentibus posterisque meritum, ornatum a principibus, cultumque ab eruditis, vocat. **) Etsi tantus vir Annabergam ornauit, eique prae ceteris Saxoniae urbibus, in quibus tum Musae non tam amoenum secessum et domicilium habebant, quam hic, auctoritatem conciliauit: inuidia tamen sacrificulorum, quos stupor insignis notabat, et in primis Zeidleri cuiusdam, Pastoris pontificii vltimi, eo deductus est, ut, quam regendae scholae prouinciam tam laudabiliter administrasset, eam vltro, non sine honorum dolore, deponeret. Fuit tunc ea
doctis.

*) v. Fabricii vit. Riu. apud Vuilfch. l. c. p. 53.

**) v. Fabric. Annal. urbis Misnae, p. 104.

doctissimorum hominum fortuna, vt, cum sua doctrina, qua literis suum splendorem redderent, iuuenibusque discendi cupiditatem iniicerent, imperitos homines, rerum scientiam iactantes, artes dicendi vero, propter stuporem, periculofas, vel saltem inutilem verborum pompam habentes, obscurarent, malis aduersariorum artibus de statu suo deicerentur: qualem sortem fuisse scimus Buschii et Rhagii in Academia Lipsiensi *) Sed Riuius noster, qui non sibi, sed iuuentuti studiosae iuuandae natus sibi videbatur, mox, Annaberga relicta, Mariabergam fecesit, quam urbem, tanquam Musarum sedem et suae quietis domicilium valde amauit, in eiusque laudem peculiarem quoque libellum scripsit. Et si ibi publicis laboribus non functus est, quod vellet omnem molestiae sensum, quem in puluere scholastico collegerat, deponere, et in otio honesto aliquamdiu viuere: tamen non otiosus fuit, cum esset otiosus, sed, quos paullo erectioris indolis discipulos secum adduxerat Mariabergam, eos doctrina et bonis moribus politiores et humaniores reddidit. Sed non diu hoc otio ibi fruitus est. Quum enim eum Gaspar Crucigerus secum Schneebergam deduceret, et VVeisenbachio, praefecto vrbi, fenatuique haud vulgariter commendaret, qui, quod sibi talis viri videndi copia data esset, et iste spem inieciisset, fore, vt iuuentuti studiosae publice prodesset, in sinu gaudebant: tandem persuaderi sibi passus est, vt ibi ludum literarium prudenter regeret. Quibus praeclare factis fama viri, fortuna longe maior, sic enituit, vt plures vrbes sibi tam idoneum magistrum exoptarent, qui scholas ordinaret, easque sua praesentia nobilitaret. Vnde Regiomontem in Borussia, et Budislinam venire est inuitatus, Sed in excelliorem locum fortuna eum euexit, cum Henricus Pius, Dux Saxoniae eum, ob tantam nominis celebritatem, Fribergam vocaret, vt Mauritium et Augustum, celsissimos principes, pietate et bonis artibus erudiret. Ibi scholam aperuit, collegis in societatem laboris venientibus dignissimis, Adamo Sibero, Iobo Magdeburgo et Fabricio Chemnicensi, qui tanta laude et ex-

) (

istima-

*) v. Ven. Ernest. Op. orat. 61.

iftimatione peritorum bonas litteras docuerunt, vt, cum Princeps augustissimi scholae umbram splendore collustrarent, Riuiumque interpretantem Liuii Decades audirent, Gymnasium Fribergense, omnibus Scholis, celebritate et frequentia tunc temporis antecelleret. *) Exceperat Friberga tanquam alma studiorum mater, praeter Riuium et Siberum, Rhagium, quem inuidia exfulem et extorrem Lipsia fecerat, Perrum Mofellanum et Sobium, quod Fabricius merito in praefatione (p. 4.) ad Virgilium suum praedicat. Sed haec vrbs non diu in oculis suis ferre potuit Riuium. Quum enim ex omnibus eius rebus, eius fidei concreditis, fides et industria plane singularis eluceret; Henricus ille Pius cum iussit in contubernio Augusti, in Academia Lipsica, esse, vt studiorum Principis esset quasi rector et comes. Cognita atque perspecta eius prudentia, in regundis studiis principis; inde ad altiorum honoris gradum ascendit. Constituto tum Misena, iussu Mauritii Ducis Senatu ecclesiastico; noster Riuius huius sanctioris concilii Senator siue assessor fuit designatus. Quo in munere amplissimo, non modo de grauissimis rebus consultus, sapienter respondit, de doctrinis religionis falsis aut suspectis diligenter cognouit, et, doctrina ministrorum ecclesiae explorata, acer censor morum, si quos prauos cognosset, extitit, sed et inspectio illaltris Scholae Afranae ei fuit delata, vt nunquam, vsque ad vitae finem, scholarum salutem promouere desineret. Tantus vir itaque fuit Riuius, vt ex his disputatis non dubium esse possit, eum de re scholastica in Saxonia, et praecipue in tractu Misniae montano, meritissimum fuisse. Auctorem huius rei quoque haud spernendum, Menkenium, cui cognomen fuit Burcardo, laudare possum, qui, in dissertatione, supra laudata, *) ipsi inter instauratores graecarum et latinarum litterarum, in Misnia, non infimum locum adsignat. Mirum quidem alicui videri possit, quod non diu in vno manserit loco; et fuerunt sane, qui hoc leuitati cuidam animi tribuerent: sed, nisi me fallunt omnia, hac sedis alicuius fixae stabiliisque constituendae inconstantia, plurimis scholis

*) §. 30.

scholis factus est vtilissimus, cum iis prudenter ordinatis simul rationem rite docendae humanitatis inferret, atque in discipulis, ipsius disciplina formatis, exempla, ad quae alii se conformare possent in erudienda iuuentute, posteritati relinqueret. Eo magis, reculturi memoriam, tanti viri, aequis et doctis lectoribus rem, iuuentuti studiosae non inutilem, susceperisse videbimur.

Sed his praemis, consilium, quod in praesenti exsequi apud animum constitui, nunc cum lectoribus beneuolis communicandum est. Octo ipsi anni sunt, quibus, auxilio diuino fretus, hanc Scholam, quae a longo inde tempore, inter scholas paullo celebriores aliquo numero fuit, institutis et disciplina mea rexi; in qua administratione Dei praesentissimum auxilium, in omni re suscipienda et absoluenda, sensi. Nunc Dei optimi maximi nutu factum est, vt singulari SERENISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI, FRIDERICI AVGVSTI, ELECTORIS SAXONIAE clementia, per Viros illustrissimos, Principis amicos, qui de me meaque qualicunque eruditione iudicium, benevolentissimum mihi que honorificentissimum fecerunt, dignus iudicarer, cui amplissimum manus Rectoris et bonarum litterarum Professoris in illustri Afraneo demandaretur. Inssus ingredi hanc viam, parui, et iure iurando fidem obstrinxi, me, quantum in me est situm, expectationi de me beneuole conceptae satisfacturum et responsurum. Quid mihi vero in tantis beneficiis, quibus hic, per Dei benignitatem sum ornatus auctusque, sit faciendum, non est, vt multis explicem. Vota illa, quae concepi, exsoluenda sunt: gratiae sunt agenda coram Deo O. M., Patronis atque amicis iucundis, qui me fauore et amore complexi sunt: disciplinae meae alumnis, qui me suspexerunt et amarunt, bona verba dicenda. Quod faciam oratione latina et vernacula: in illa notionem litterarum humaniorum explicabo,
et,

Zd 6565 Qk

XII

quam adhuc secutus sum viam in tradenda humanitate, breuiter et
exponam: in hac, variis beneficiorum generibus enumeratis, gra-
tum animum declarabo.

Nihil aliud habeo precari, quam vt EPHORVS SVM-
ME VENERANDVS ATQVE EXCELLENTISSI-
MVS, SENATVS HVIVS VRBIS AMPLISSIMVS,
VERBI DIVINI MINISTRI MAXIME REVE-
RENDI, atque alii, quisque suo ordine atque dignitate, me
vltimum dicentem beneuole audiant, mihi que suam voluntatem
significent. Equidem quanti hoc beneficium, mihi hoc tem-
pore tributum faciam, nunquam quoad viuam, obliuiscar.
Scripti Annabergae. a. d. xvii. Sept. cio 15cc LXXI.



ULB Halle

004 586 360

3



WDR







QK. 2589.

Z d
6565

DE
IOANNE RIVIO, RECTORE QVONDAM ANNABERGENSI
BENE DE RE SCHOLASTICA IN MISNIA MERITO

DISSERIT

ET AD

AVDIENDAM ORATIONEM

QVA SE SCHOLAE ANNAEMONTANAE
ADMINISTRATIONE

H. Q. L. S

A. D. XXV. SEPT. CIO ID CCLXXI

ABDICAT

PATRONOS ATQVE FAVTORES OMNIVM
ORDINVM HONORATISSIMOS

HVMANISSIME INVITAT

M. IO. CHRISTOPHORVS GOTTLEBER

ILLVSTRIS AFRANEI RECTOR RITE CONSTITVTVS

ANNABERGAE

LITTERIS AVG. VALENT. FRISII

